Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

uid significare uoluisse. nisi ut intellegerent atque gauderent tam multos se Christo acquisituros. cum de iudeorum congregationibus pellerentur. ut eos non sufficerent pellere sed non sinerent uiuere. ne omnes ad nomen Christi sua predicatione conuerterent. et ab obseruatione iudaismi tamquam diuine ueritatis auerterent. Hoc enim de iudeis dictum debemus accipere. de quibus dixerat. extra synagogas facient uos. Nam testes id est martyres Christi et si occisi sunt a gentilibus non tamen illi arbitrati sunt deo sed diis suis falsis obsequium se prestare cum hoc facerent. Iudeorum autem omnis qui occidit predicatores Christi deo se prestare putauit obsequium. credens quod desererent deum israel quicumque conuerterentur ad Christum. Ut enim et ipsum Christum occiderent ista ratione commoti sunt. nam eorum de hac re et uerba conscripta sunt. Videtis quia totus mundus post eum abiit. si dimiserimus eum uiuere. uenient romani et tollent nobis et locum et gentem. Et quod cayphas dixit. Expedit ut unus homo moriatur pro populo et non tota gens pereat. Et in hoc ergo suos discipulos suo erexit exemplo quibus dixerat. si me persecuti sunt et uos persequentur. ut quemadmodum illum occidendo deo se prestitisse obsequium putauerunt sic et illos. Iste itaque sensus est in his uerbis. extra synagogas facient uos. sed nolite solitudinem formidare. Separati quippe a congregatione eorum tam multos in meo nomine congregabitis. ut illi metuentes ne templum quod erat apud illos et omnia legis ueteris sacramenta deserantur interficiant uos. sic sic fundentes sanguinem uestrum ut deo se prestare arbitrentur obsequium. Ecce est illud quod de eis dixit apostolus. Zelum dei habent sed non secundum scientiam. Obsequium se prestare putauerunt deo. interficiendo famulos dei. O error horrendus. itane ut placeas deo perimis placentes deo. Et dei templum uiuum te feriente prosternitur. ne dei templum lapideum deseratur. O miserabilis cecitas. Sed ex parte in israel facta est. donec plenitudo gentium intraret. Ex parte inquam facta est non ex toto. Non enim omnes sed aliqui ex ramis fracti sunt ut insereretur oleaster. Nam spiritu sancto implente discipulos Christi cum linguis omnium gentium loquerentur. cumque per eos diuina miracula frequentarentur et diuina eloquia spargerentur. et occisus ita dilectus est Christus. ut ei discipuli expulsi a congregationibus iudeorum. ex ipsis quoque iudeis ingentium multitudinem congregarent. et nulla sollicitudine formidarent. Hinc ergo accensi ceteri reprobi et ceci. zelum dei habentes sed non secundum scientiam. et obsequium se deo prestare credentes occidebant eos. Sed pro illis occisus colligebat eos qui de his futuris antequam occiderentur instruxerat eos. ne ignaros atque imparatos animos mala inopinata et impulsa quamuis cito transitura turbarent. sed precogitata et patienter accepta ad bona sempiterna perducerent. Hanc enim fuisse causam ut hec prenuntiaret et ipse